



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 318. Num jure canonico abrogatum, quod alias denegatur viduæ transeunti ad secundas nuptias intra annum luctus, præstatio alimentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

2. Resp. Secundo: Cætera pœnæ statuta principaliter in favorem filiorum non sunt jure canonico sublata, sed pro utroque foro in suo vigore persistunt. Innoc. in c. *fin. h. t.* Host. *ibid.* n. 3. Jo-And. n. 5. Anchoran. n. 9. Barb. n. 3. Gutt. l. c. à n. 21. Sarmien. L. 1. *Selectar. interpret. c. 5* n. 40. Sanch. l. c. d. 88. n. 39. Oliv. l. c. g. 43. n. 22. Castrop. n. 31. Pirh. b. t. n. 9. Haunol. de 7. *et 7. Tom. 1. r. 4.* n. 504. Wiestn. b. t. n. 37. contra Abb. in c. *Ecclesia. de const. n. 15.* Felin. *ibid.* n. 36. *declarat. 1. deci. n. 125.* eò quòd legibus inducentibus has pœnas nullo textu juris canonici sit derogatum; neque expressè; quin potius approbatæ. Arg. c. *ex parte. de appell.* ubi constituta secundò nubentibus *cit. c. matres.* amissio tutelæ apertè est approbata, ut *ibid.* notant Barb. & Gonz. nec tacitè; cum pro earum abrogatione non militet eadem ratio, quæ pro abrogatione aliarum pœnarum, cum non sint pœnæ propriæ tales ob secundas nuptias impositæ, sed dispositiones quædam legales maximè æquitati & juri naturali consentaneæ à legitima potestate inductæ in favorem liberorum primi mariti, quibus aliàs secundæ nuptiæ solent esse damnosæ & infastæ, ut Sanch. l. c. n. 39. Gutt. n. 20. *et 22.* Castrop. n. 31. cum Covar. Gabr. Matienzo à se citatis. De quibus proinde rationabiliter conquiri nequit pater aut mater, quòd inde tollatur libertas ad nubendum.

Quest. 317. An igitur etiam jure canonico correctum sit, quod statuitur Auth. cui relictum. c. viduit. & Auth. de nuptiis. §. quæ verò coll. 4. ut legatum à conjuge vel extraneo sub conditione, ne secundò nubat, peti nequeat intra annum luctus.

Resp. Cum Sanch. l. c. d. 87. n. 19. Gutt. l. e. à n. 10. Castrop. n. 14. negativè; eò quòd nullam pœnam contineat, sed dispositionem voluntati testatoris maximè faventem, dum detentione legati per annum, quòd alias statim solvendum, legatarii voluntas implendi conditionem hanc, seu abstinendi per annum à secundis nuptiis, cognoscatur.

Quest. 318. Num jure canonico abrogatum, quòd aliàs denegatur viduæ transcurrenti ad secundas nuptias intra annum luctus, præstatio alimentorum.

Resp. Cum iisdem Castrop. l. c. n. 15. *vers. dubium est.* Gutt. n. 18. Sanch. n. 30. Cucho. L. 5. *Inst. Maj. tit. 12. n. 190.* præstanda adhuc viduæ pauperi transeundi ad secunda vota alimenta ab hæredibus prioris mariti, eò quòd ea negari non possint in odium præproperarum nuptiarum secundarum tempore luctus; cum ea debeantur à secundo marito, à qua obligatione dum is liberatur, si pauper est, hæredes prioris mariti, dum dotem non restituunt (quam consistentem in rebus immobilibus statim; consistentem verò in mobilibus & incorporalibus non nisi post annum à morte mariti extrudere tenentur, juxta L. *unic. c. de rei uxorie act. §. ex actio.* exceptis tribus casibus, in quibus ea consistens in rebus mobilibus statim à morte mariti extradi debet, de quibus vide Castrop. *cit. n. 15.*) ab alimentis præstandis desistere non debent AA. citati. Porro si hæredes teneantur præstare alimenta viduæ superstiti, teneri quoque suppeditare vestes lugubres; quia ad alimenta reducuntur; ita etiam, ut dum de consuetudine contraria non

constat, transiens ad secundas nuptias eas, si ve viles sint, si ve pretiosæ, ut volunt alii, restituere non teneatur, probabilius credit Castrop. n. 16. Sed neque, ut Idem, si hæredes eas sine obligatione concesserint; eum concessæ non censentur sub conditione non transeundi ad secundas nuptias. Quid verò sit de obligatione restituendi lectum viduæ post transitum illius ad secundas nuptias; vide pluribus apud Castrop. l. c. à n. 17.

Quest. 319. Num vidua incidens in fornicationem incurrat pœnas statutas secundò nubentibus.

Resp. Vidua intra annum luctus committens fornicationem incidit in omnes pœnas jure civili statutas secundò nubentibus tempore luctus. *Auth. de restit. & ea que parit §. fin.* ubi & ratio additur his verbis: *non enim aliquid amplius habet castitate luxuria;* & licet hæc pœnæ jure canonico abolitæ sint respectu secundò nubentium, non tamen quatenus afficiunt viduam fornicantem ex ea ratione, quòd hæc pœnæ abolerentur, ne metu earum secundæ nuptiæ, quæ licitæ sunt, impediantur, quòd non procedit in fornicatione omni jure illicita. Atque ita, ut certum ex omnium sententia contra unum Corneum tradit Sanch. L. 7. d. 90. n. 1. & cum eo Gutt. de mat. c. 110. n. 1. Castrop. r. 28. d. 4. p. 13. §. 6. n. 1. Sufficit autem ad has pœnas incurrendas unica fornicatio, absque eo quòd, ut volunt alii, requiratur consuetudo fornicandi; ita, ut videtur, verius tenent Covar. in 4. *decret. 2. p. c. 7. §. 6. n. 12. in fin.* Acosta in c. *si pater. de testam. in 6. v. legavit.* n. 40. Barb. in L. 2. ff. *solutio maritum.* p. 1. n. 67. Sanch. L. 7. d. 90. n. 2. & alii, quos citat & sequitur Castrop. l. c. Arg. *cit. Auth.* quæ pœnis omnibus secundò nubentium afficit viduam parientem non ex priore matrimonio, adeoque ex fornicatione; partus autem ex unica fornicatione provenire possit. Non tamen has pœnas incurrere viduam fornicantem extra tempus luctus probabilius censent Sanch. l. c. n. 5. Castrop. l. c. n. 2. eò quòd *cit. Auth. §. fin.* has pœnas indicens viduis fornicantibus, expressè solum loquatur de fornicantibus intra tempus luctus, sitque fornicatio extra tempus luctus minus gravis, minusque viro probrosa. Neque incurrere has pœnas viduam fornicantem intra tempus luctus ante omnem sententiam Judicis, ita ut nullâ expectatâ sententiâ teneatur in conscientia liberis prioris thori omnia, quæ à priori marito accepit, aut alias titulo lucrofo acquisivit restituere, tutelamque & educationem dimittere; sed tunc demum, ubi accesserit sententia declaratoria criminis, esto ipso jure privetur illis; eum hæc privatio statuatur in delicti pœnam, quæ necessariò requirit sententiam declaratoriam delicti, docent rectius Sanch. l. c. n. 11. Gutt. *cit. c. 110. n. 17.* Castrop. l. c. n. 6. 7. *et 10.* Porro extendi quoque dictas pœnas ad virum viduum intra tempus luctus fornicantem & luxuriosè viventem, contra Pinell. in L. *ult. c. de bonis matern. n. 19.* & Gutt. l. c. n. 13. tenet Castrop. l. c. n. 9. citatis pluribus ex ea ratione, quòd dictæ pœnæ v. g. illa bonorum restitutio, seu reservatio facienda liberis vel hæredibus repræsentantibus defunctum sancita sit in satisfactionem injuriæ illatæ conjugi defuncto per fornicationem tempore luctus commissam non secus, ac commissam ob secundas nuptias eo tempore initas; adeoque sicut ob illas initas si ve à viro, si ve à muliere, ita incurratur ob dictam fornicationem commissam, si ve à viro viduo, si ve à femina vidua.